



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora**

**Possevino, Giovanni Battista Bernardino**

**Coloniæ Agrippinæ, 1645**

Articvlvs IV. De peccatis quæ habent adnexam obligationem restituendi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42220**

si neget, & euidens illum mentiri contra integritatem confessionis, non debet illum absolueri: si non sit euidens, potest absolvere, & credere ab eo negari, quia non tenetur illud confiteri, quia scil. antea id confessus sit.

## ARTICVLVS IV.

*De peccatis qua habent adnexam obligationem restituendi.*

**Q**UOAD quartum, quæ scil. peccata habeant adnexam obligationem restituendi. Dico vt plurimum esse illa, quæ fiunt contra iustitiam commutatiuam, inter quæ communiora sunt tria: *Primum*, est iniustitia circa bona externa per furtum. *Secundum*, iniustitia circa bona corporis, vt vitam & membra per homicidium, vel mutilationem. *Tertium*, circa bonum famæ per detractionem.

Primò ergo circa restitutionem bonorum externorum quatuor præcipuè cognoscenda sunt. *Quis* debeat restituere? *Quid*? *Cui*? & *Quando*?

*Primum* (*QUIS*) id est persona, quæ multiplex est. Prima damnificans, vt fur, homicida, detractor; in quo debet esse culpa ad hoc, vt teneatur ad damnum secutum ex proprio facto; item mortalis, eaque oriri ex dolo, vel culpa lata. Reliquæ personæ sunt nouem, & dicuntur cooperantes comprehensæ ijs versibus:

*Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,  
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

Ex quibus primi sex dicuntur cooperatores directi,

recti, & positiuè, reliqui indirecti, & negatiuè.  
Circum quos:

*Nota primo*, cooperatores quoscunque satis esse si sint causæ; cum quibus, & per quas fit damnum, etiam si non sint causæ, sine quibus non damnum fuisset illatum. Item omnes teneri in solidum, quando sunt causa efficax totius damni; hoc est ad totum damnum securum. Principaliter autem si quidem actio sit lucratiua, tenetur ille qui habet rem alienam; si verò tantum est illatiua damni, vt homicidium, &c. tunc primo loco tenetur mandans, postea executor, deinde consultor, & cæteri suo ordine in defectum principalis.

*Nota secundo*, cooperatores positiuè teneri, quando sunt causa efficax damni secuti, & mandans quidem siue expressè siue tacitè, tenetur, nisi reuocet mandatum ante executionem, vt innotescat talis reuocatio mandatario; non sic tenetur is, qui ratum habet delictum suo nomine, factum. Consulens etiam tenetur, nisi remoueat voluntatem eius qui consilium petijt, vel curet quantum potest, ne sequatur damnum, admonendo tertium de periculo; si consilium datum sit ex ignorantia, debet esse culpabilis mortaliter ad hoc, vt ex illa teneatur. Consentiens debet esse talis, vt ab eo pendeat damnum, siue antequam detur, siue in ipso actu illud inferendi. Denique receptator debet esse talis, vt ex eo alius animetur, saltem ad damna inferenda: si id sit, etiam si sit consanguineus, vel amicus, tenetur.

*Nota tertio*, cooperatores negatiuè teneri,

Bb §. quan-

quando possunt impedire, & non faciunt, eum tamen ad id teneantur ex officio: ut quia sunt consultores, superiores, custodes & similes. Debet autem negligentia, ex qua id omittunt, esse grauis, ad hoc, ut ex ea teneantur restituere.

*Secundum* quod cognoscendum est, est quid restituendum sit. Pro qua re primò sciendæ sunt quatuor radices remotæ restitutionis; eæ sunt: *Primò*, vel ex contractu, ut muto, vendito, locato. vel ex quasi contractu, ut negotijs, gestis, tutoria officio publico: hi enim etiam obligantur, ac si fuisset pactum inter eos. Vel ex delicto, ut furto, homicidio, & vel ex quasi delicto, ut cum quis læditur non dolo, sed ex imprudentia, negligentia, ignorantia culpabili.

*Secundò*, tres aliæ radices magis proximæ. *Prima* ex iniusta acceptione tantum, ex qua oritur illa regula: Quicumque est causa iniustæ acceptiois, ut furti, vsuræ, homicidij, infamię, &c. tenetur in solidum ad restitutionem. *Secunda*, ex re accepta tantum, ex qua oritur hæc regula: Quicumq; habet rem alienam, tenetur eam restituere: & si quidem habeat mala fide, tenebitur ex utroque: illa enim retentio dicitur iniusta quædam acceptio: si verò bona fide, tunc si habet illam in se ipsa, tenetur reddere, si non, tenetur ad id, in quo esset factus ex illa ditior, ut in maiori pretio, quod accepisset ex eius alienatione, vel in rebus proprijs: quas non consumpsit: alioqui consumpturus, si rem alienam non habuisset. *Tertia radix* est ex utraque; id est, ex re accepta, & ex iniusta acceptione, ex qua oritur *tertia* regula: Quicumque est causa iniustæ  
acce-

ceptionis, & retinet rem alienam, tenetur ad reddendam rem, fructus eius tum naturales, tum industriales mixtos, & damna secuta.

*Tertio* cognoscenda est differentia inter primam & secundam radicem, quæ triplex est. *Prima*. Qui tenetur ex re accepta tantum si ea casu perit, vel sine culpa eius, qui retinet, ad nihil tenetur: qui verò ex iniusta acceptione, tenetur. *Secunda*: Qui ex re accepta, tenetur tantum ad fructus extantes vel in se, vel in alio, quatenus est dicitur ex illis: qui verò ex iniusta acceptione, etiam ad fructus perceptos, & qui percipi potuissent. *Tertia*. Qui ex iniusta acceptione, tenetur ad damna secuta, & lucra quæ cessarunt: damnificato, non ita qui ex re accepta.

*Tertium*, est persona, cui facienda est restitutio. De quo dicendum est primò: Si Dominus est certus & notus, illi facienda est restitutio, vel hæredibus eius. *Secundo*, si certus est, sed ignotus, tunc fiat diligens inquisitio: ea facta si non reperiatur, danda est pauperibus, sub quibus veniunt omnes indigentes, loca pia, consanguinei pauperes: ipsemet etiam debitor si pauper sit. *Tertiò*, si dominus sit incertus, si quidem id sit, quia ex tribus vel quatuor ignoratur verus dominus, tunc res restituenda de consensu ipsorum, vel fortè cui obtigerit: si qua est communitas aliqua, vel aliqui ex civitate, ut cõtingit in ijs, qui fraudant in pōdere, vel mensura, vel pretio, tunc tantum augendū erit pondus, vel mensura, quantum est diminutum; si deniq; incerta sit persona particularis, tunc post diligentiam sufficientem si non reperiatur, danda est pauperibus.

Quartò, bona incerta possunt esse tribus modis.

*Primò*, quia nullum habent dominium, ut gemmæ, lapilli in litore maris, feræ, &c. huiusmodi. Et hæc sunt primò occupantis, nec restituenda sunt.

*Secundò*, quia probabiliter nō habent de præsententi, ut thesaurus; & tunc si arte magica inuentus sit, debetur fisco, vel Principi, si lex faciat inhabilem inuentorem; si minus, non debetur nisi post sententiam: si verò sit inuentus bonis artibus, tunc si locus in quo repertus est, sit inuentoris, totus est ipsius iure communi; si alterius, dimidium domini loci, & dimidium inuentoris, modò casu inuentus sit: nam si ex industria, & cum licentia domini, totus est inuentoris; si sine licentia, totus domini, saltem post sententiam: nam antea potest in conscientia retinere.

*Tertiò*, quia sunt amissa, quamuis habeant dominum probabiliter, & tunc si facta diligentia dominus non inueniatur, cōmunior opinio est, quod sint danda pauperibus: probabilis tamen etiam est, posse retineri ab inuentore.

*Dicendum est quintò*. Turpiter accepta, id est, pro faciendo actu turpi, ut meretricio, homicidio, sententia, iniusta, &c. si actus non fiat, reddenda sunt danti in conscientia; si factus sit, retineri possunt. Accepta per ludum etiam aliàs lege humana prohibitum, modò absint fraus & dolus, quæ sint contra leges ludi, & absque notabili artis inæqualitate, & cum persona habili, non sunt restituenda in conscientia; nec etiam

quæ.

bus  
 ut  
 ius-  
 sti-  
 ra-  
 en-  
 i in-  
 etur  
 onis  
 in-  
 lre-  
 en-  
 du-  
 to-  
 post  
 ntia  
 ant  
 en-  
 nio  
 ra-  
 id  
 ho-  
 iat,  
 fit,  
 lias  
 s &  
 no-  
 ili,  
 am  
 quæ

quæ pecunia credita, si victus utatur beneficio  
 egis, tunc essent restituenda: denique accepta  
 per simoniam realem, item per data & promissa  
 pro gratia, vel iustitia obtinenda apud sedem  
 Apostolicam, restituenda sunt Ecclesie, vel pau-  
 peribus.

*Quartum est*, quando sit facienda restitutio,  
 & Dicendum *Primò*, quoad animi præparatio-  
 nem, statim faciendam esse; quoad realem,  
 quamprimùm commodè fieri potest. *Secundò*,  
 si ter vel quater quis promisit restituere, & non  
 restituit, dic ut supra cum de Proposito. *Tertiò*,  
 non est restituendum cum damno bonorum al-  
 tius ordinis, ut vitæ, famæ, sanitatis; nec etiam  
 cum graui damno bonorum eiusdem ordinis  
 modò ex hoc non sequatur æquale damnum in  
 creditore, tunc enim præponendus esset credi-  
 tor. *Quartò*, neque cum iactura status, quando  
 est iuste acquisitus, quamuis benè cum diminu-  
 tione citra notam paupertatis.

*Secundò*, principaliter circa restitutionem  
 bonorum corporis: Hæc triplicia sunt, vita, in-  
 tegrilas corporis, & integrilas claustrum, quæ vio-  
 lantur per homicidium, mutilationem, & stu-  
 prum. *Primò* ergo homicida ad duo tantum te-  
 netur. *Primum*, ad expensas factas in curatione  
 vulneris ante mortem. *Secundum*, ad damnum  
 temporale vitæ, quantum æstimabitur spes illa  
 utilitatis & lucri quod allaturus erat, deductis  
 ijs, quæ ipse consumpsisset in victu, & vestitu.  
 Æstimatio autem debet fieri arbitrio boni viri,  
 & hæredes, quibus facienda est restitutio, de-  
 bent esse ij, qui censeantur vna persona cum de-

functo, vt parentes, filij, & vxor occisi: quare fratribus, creditoribus & alijs non tenetur. Ad damnum autem naturale vitæ non tenetur occisor, quando occisus est homo liber, sed tantum ad petitionem veniæ; si autem sit seruus, tenetur domino quātum vita serui æstimabitur. Deinde excusatur à restitutione, quando occisus remittit debitum, quando erat aliàs iustè occidendus, vt per iustitiam, quando prouocasset ad duellum, quando fuisset aggressor, & aggressus non excessit fines inculpatæ tutelæ notabiliter.

*Secundò*, mutilator, vel alius percutiens iniustà, ad tria tenetur. *Primò*, ad expensas in curatione vulneris. *Secundò*, ad æstimationem spei illius lucri, quod facere poterat, detractis expensis. *Tertio*, ad æstimationem damni, quod ex hoc securum fuisset. Pro deformitate autem cicatricis relictæ non tenetur, si mutilatus fuit liber homo; si seruus, tenebitur vt supra.

*Tertio*, stuprator, si virgo liberè consentit, ad nihil tenetur secundum probabilē sententiam, securius tamē est Confessarium semper aliquid imponere in satisfactionem. Si vi, fraude, fallacijs inducta, tenetur, *primo* ad coniugium; si promisit. *Secundo*, ad reparationem damni ex stupro, quantum æstimabitur arbitrio boni viri. *Tertio*, ad dotem, si iudex ad id eum condemnarit. Pro sola autem iniuria ipsi virgini illata satis est petere veniam.

*Quarto*, adulter (hic enim affinis est stupratori) pro iniuria illata marito ad nihil tenetur, nisi ad petitionem veniæ, si maritus adulterium resciat. Quod si partus etiam sequatur, & adul-

ter.

er certò putet prolem esse suam. *Primo*, teneatur ad alimenta à tertio anno, donec sibi prouidere possit de alimentis. Adultera autē tenetur à partu vsque ad tertium annum completum *Secundo*, ad restitutionem hæreditatis, quam illegitimus accipit cum alijs filijs legitimis: quod si habeat probabiles rationes dubitandi, quod proles sit sua, ad nihil tenebitur. Simili modo adultera, etiam si non teneatur manifestare delictum marito, aut proli, nisi moraliter certa esset auferendi damnum ab alijs filijs, & quod nullum sibi periculum vitæ, vel infamiæ sequeretur; obligatur tamen ad curandum quantum potest, vt legitimi hæredes non patiantur damnum, dando illis dona paraphernalia, si quæ habeat, relinquendo illis lucra ex suo labore, & industria inducendo illegitimum ad religionem si aptus sit. Præter hæc ad nihil tenetur.

*Tertio*, principaliter circa restitutionem famæ quatuor præcipuè scienda sunt. *Primum*, famam dupliciter lædi, imponendo alteri crimē fallum, & manifestandum verum occultum contra ordinem iuris, vel fraternæ correctionis. Id autem fieri potest primò directè, & ex intentione, quæ est detractio formalis. *Secundo*, indirectè, ex negligentia, & loquacitate, quæ est detractio materialis.

*Secundum*, ad restitutionem requiri, *Primo*, vt materia sit grauis regulariter. *Secundo*, vt defectus sit moralis; naturalis nõ inducit obligationem, nisi in casu, quo existimaretur ob id persona, de qua refertur; contemnenda ab auditoribus. *Tertio*, vt sit talis qui iudicetur notabiliter læde-

læde-

ludere famam. *Quarto*, ut sint peccata specialia regulariter. *Quinto*, ut fama verè sit ablata, & non restituta alia via. *Sexto*, ut non sequatur ex restitutione maius malum, detractori, ut periculum vitæ, vel maius damnum in fama propria aut aliena.

*Tertium*, qui refert peccata alterius audita absque asseueratione, vel detrahit materialiter, regulariter non tenetur; nisi in casu, quo referrentur ea ratione, ut meritò audientes inducantur ad sentiendum malè de proximo. Qui verò audit, si teneatur ex officio impedire, vel excitet, aut animet alium ad detrahendum, obligatur ad restitutionem. Secus, non tenetur, etsi peccare possit complacendo sibi deliberatè de detractioe ob prauum affectum erga eum, de quo detrahitur. *Quartum*, qui infamauit dicendo falsum, tenetur dicere se falsum dixisse; qui verò manifestando verum occultum, laudet, & honorificè loquatur de eodem in ijs quibus detraxit.

## ARTICVLVS V.

*De peccatis, quæ habent adnexam reservationem, vel censuram.*

**Q**UOD AD quintum, quæ scilicet peccata habeant adnexam reservationem, vel censuram; *Primò* scienda sunt aliqua circa reservationem peccatorum. Ea autem sunt *primum* peccata venialia non posse ita reservari, ut maneat obligatio ea confitendi; possent tamen ita, ut non possint sacramentaliter remitti, nisi à tali, vel tali ministro: sed tunc inutilis esset talis reservatio.